



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. IV. De Mutuis petitionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

tâ novâ instantiâ, novum libellum offerre velit, cum refusione expensarum, juxta c. *Examinata*; 15. de *judic.* Ratio est, quia libellus per litis contestationem formatur, & transit in quasi contractum inter partes litigantes, per quem obligatur quis ad id, quod in judicio petendum est, si per sententiam succumbat, per quam iste quasi contractus consumatur. *Gail. cit. obs. 74. n. 6. 7. & 8. ubi n. 9.* addit, quod nec quidem accedente consensu partium, post litis contestationem, libellum mutare concessum sit, eò quod litis contestatio, & alii actus substantiales iudicii partium consensu tolli nequeant.

XIX. Assertio 2. Non tantum libellum declarare, si quid obscurius in eo dictum sit, cum qui declarat, nil de novo dicat. *Arg. l. Heredes; 21. §. Si quid ff. qui testam. fac. poss.* sed etiam emendare, seu corrigere, & accidentaliter mutare, ita, ut causa status non immutetur, licitum est etiam post litis contestationem, usque ad sententiam, id est, conclusionem in causa. *Arg. cit. §. Si quid, Bart. in cit. l. 3. num. 5. C. de edend. & gloss. ipsius lit. A. Mynsing. in §. Si minus; num. 22. & 24. Instit. de action. v. g. si erratum sit in nomine rei petite, aut in loco, vel tempore obligationis contracte, licitum est, illum errorem corrigere, dummodo idem jus, eademque actionis qualitas permaneat. Item, si actor omisit in libello petere accessoria, videlicet fructus, & expensas, potest saltem iudicis officium implorare, ut ea consequatur. Præterea potest libellus emendari, & mutari, quoad detraktionem, seu diminutionem; ut, si actor petijt centum, potest post litis contestationem, corrigendo libellum, petere 50. vel si totum fundum ad se dixit pertinere, cum postea pro parte tantum petere potest. *Arg. l.**

Quidem; 21. ff. de reb. credit. Abb. in cit. c. 2. n. 24. h. n. Mynsing. c. l. n. 22. Quin imò potest libellus mutari etiam addendo: ut, si actor minus justo petijt in libello, & postea cognoscat, plus deberi, potest in eodem iudicio, eademque instantiâ, emendare libellum, & summam, si ve rei petite aliquid addere, etiam post litis contestationem, usque ad sententiam; ut ex *cit. §. Si minus; docet Mynsing. ibid. n. 10. 13. & 14.* Quia hoc casu nec actio, nec causa petendi mutatur, nec prima petitio deditur: putat tamen *Abb. c. l.* in praxi contrarium observari, ut litis contestate instantiâ tali casu solvatur, relicta facultate actori alium libellum offerendi, & aliud iudicium petendi.

XX. Assertio 3. Effectus libelli oblationis est, quod secundum petitionem in libello factam ferenda est sententia, & quod actor, post libellum per iudicem reo porrectum, cogatur litem, seu causam prosequi, & ad finem perducere. *Auth. Qui semel. C. Quom. & quand. Iudex & c. Hostiens. in summa; n. 10. & 13. h. t.* Dummodo rei conventi interit, ut litem; tum enim cogere potest Actorem ad eam causam prosequendam: alioqui verò, si ejus nihil interit, Actor potest litem suam deserere, etiam invito adversario, tam ante, quam post litis contestationem. *l. Postquam; 4. C. de Pact. Lanfranc. in praxi. c. 5. n. 21. §. Potest tamen. in cit. autem Auth. Qui semel, semel est de Actore, quod si se absentet, ita, ut personaliter conveniri nequeat, per tria edicta citari, & in contumacia constitui possit; ut patet ex ipso textu. Plures effectus libelli adfert *Hostiens. in summa. num. 13. h. t. Durand. in spec. cit. tit. de libellor. concepr. §. Nunc dicendum est, de effectu libelli.**

T I T V L V S I V.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

Libello actoris iudici, & per hunc reo oblato, solet interdum reus conventus vicissim aliquid ab actore petere, cumque oblato libello reconvenire, præsertim, quando compensationi non est locus, ut, quia debitum ex utraque parte non est liquidum, sed ex una tantum parte: vel, si neque per confessionem Rei sit liquidatum: vel, si ex una parte debeatur species, ex altera quantitas; ut notat *Marant. de ord. iudic. p. 4. dif. 6. in princ. n. 2. & 3.* In his ergo, & similibus casibus, in quibus locum non habet compensatio, reus recurrere debet ad mutuam petitionem, seu reconventionem; de qua in hoc Titulo post libelli oblationem agitur.

§. I.

Quæ sint, & dicantur mutua petitiones, & inter quas personas locum habeant?

I.

ASSERTIO I. Mutuæ petitiones nihil aliud sunt, quam conventio ex parte actoris, & reconventio ex parte Rei, quæ scilicet reus, facta petitione, seu oblatione libello actoris, vicissim aliquid ab eo petit coram eodem Judice, & in eodem Judicio, etiam si alius ille non sit Judex competens actoris. *l. Cum Papinianus, 14. jura. Auth. Et consequenter. C. de sentent. & interl. Omn. jud. prout infra magis declarabitur.* Sunt igitur duæ petitiones ex utraque parte litigantium factæ, & ideo rectè appellantur mutuæ, seu reciproce petitiones. *Abb. ad Rubr. h. t.* Ratio est, quia æquum est, ut actor, qui sponte sibi elegit Judicem contra adversarium, vicissim etiam patiat, ut adversarius contra ipsum eundem sibi Judicem petere, & eligere possit; cum actoris, & Rei in Judicio æqualis conditio esse debeat; nec debeat actori licere, quod reo non permittitur. *l. Non debet; 41. ff. de R. I. & ut dicitur in cit. l. Cum Papinianus; in fin. cujus in agendo observat arbitrium, eum habere, & contra se Judicem in eodem negotio non dedignetur.* quod etiam confirmatur in *c. 1. caus. 3. q. 8.* Et æquitas dicitur, ut, quod quisque juris in alium statuit, eodem ipse utatur. *l. 1. & 101. tit. ff. Quod quisque Juris &c.* Id vero procedit, non solum in eodem negotio, seu causâ. *l. Cum Papinianus.* ita, ut, qui v. g. alterum actione mandati convenit, etiam à mandatario, si quid fortè causa mandati expendit, contrariâ mandati actione conveniri possit, & in eodem negotio respondere teneatur; verum etiam super diversâ causa, seu negotio reus conventus actorem suum statim reconvenire possit apud eundem Judicem, ita, ut actor reconvenus contra ipsum, tanquam incompetentem, excipere nequeat; prout extenditur in *cit. Auth. Et consequenter;* & notat *Gl. in cit. l. Cum Papinianus. V. In eodem negotio;* & *Gl. in c. 1. caus. 3. q. 8. V. in eodem. & sumitur ex l. Qui non cogitur; 22. ff. de Judic.* Exempli gratiâ, si Titius re ex causa mutui convenit coram Judice, tu reconvenire illum potes ex causa emptionis à te ædium eodem Judice, ita, ut utraque causa simul cognoscenda, & terminanda sit: nam cum causa reconventionis sit incidens, Judex conventionis habet etiâ super eadem jurisdictionem, seu potestatem cognoscendi: qui enim est Judex causa principalis, idem etiam est Judex causarum, vel exceptionum incidentium. *Arg. l. Quoties; 3. C. de judic. Hiltrop. in process. l. 2. tit. 10. n. 4.* Neque causa continentia est consideranda, ita, ut causa, quæ in uno, eodemque Judicio, sive apud eundem Judicem debuerant terminari, apud diversos Judices ventilentur. *l. Nulli; 10. C. de judic. Hostienf. in summ. n. 2. h. t.*

Porro, licet reus conventus non obligetur reconvenire actorem suum, cum nemo invitus agere cogatur. *l. unic. C. ut nemo invitus &c.* si tamen eum vicissim convenire velit, debet id facere coram eodem

Tomus II.

Judice: nec enim reo permittitur, durante Judicio conventionis, sive priusquam terminata sit, actorem per sententiam definitivam terminata sit, actorem convenire coram alio Judice, ne in ipsius potestate sit actorem ad diversos Judices trahere, & sic ejus actionem eludere, & actorem à petitionis suæ prosecutione distrahere. *cit. Auth. Et consequenter; l. Idem; 11. §. Sed etsi mutua. ff. de jurisd. nisi ob causa qualitate, super qua actor reconvenitur, coram eodem Judice à reo conveniri nequeat. Bart. in cit. Auth. Et consequenter; n. 3. & 9. de quo infra.* Verum, quando reus prius conventus, post conclusionem in causa, vel latam sententiam, iterum convenit actorem super eadem, vel aliâ causâ, tunc non est propriè, ac strictè dicta reconventio, quæ simul tractari debet cum conventionem, sed est secunda simplex conventio; ut notat *Abb. in Rubr. h. t.*

II. Assertio 2. Ex personis litigantibus solus reus conventus reconvenire potest actorem. *cit. l. Cum Papinianus; & Auth. Et consequenter.* Neque enim actor potest reum, à quo fuit reconventus, iterum reconvenire coram eodem Judice, ne mutuæ petitiones in infinitum procedant. *c. 2. de rescript. in 6.* quia reconventio non intelligitur, nisi quoad illum, qui primò convenitur. *Gl. in c. 2. V. Eodem modo. h. t. & ibid. Abb. n. 6. Gl. in cit. Auth. Et consequenter. V. Eundem Judicem. & ibi Bart. n. 8.* Requiritur tamen, ut is, qui reconvenire alium vult, habeat legitimam personam standi in Judicio: quia reconventio est actio; est enim jus persequendi in Judicio, quod sibi debetur, adeoque, qui in Judicio agere non possunt, nec reconvenire possunt. Porro, excommunicatus non potest reconvenire actorem suum, à quo est conventus: quia reconventio propriè dicta non ad defensionem, sed ad actionem spectat, est enim nova petitio, ideoque excommunicato non est permittenda; ut dictum supra *tit. 1. num. 39.*

§. II.

Coram quo Judice fieri possit reconventio?

III. Assertio 1. Reus actorem reconvenire potest apud quemlibet Judicem, coram quo sit conventio principalis, non solum coram Judice ordinario, apud quem ipse reus conventus est ab actore (sive is quoque sit Judex ordinarius actoris, ut quia uterque litigans domicilium sub eo obtinet, vel actor ex alia causa, v. g. contractus, aut delicti, jurisdictioni quoque illius subicitur: sive alioquin, extra causam reconventionis, actoris Judex ordinarius non sit, ut postea dicitur) sed etiam coram Judice delegato; ut constat ex *cit. Auth. Et consequenter. C. de sentent. & interloc. omn. judic. quæ generatim de omni Judice loquitur, & expressè de Judice delegato habetur in c. 1. h. t.*

Quod tamen intelligendum est, quando delegatus impetratus fuit, ad petitionem unius partis tantum, videlicet actoris, ut plerumque fit: quia tunc locum habet ratio allata in *cit. l. Cum Papinianus.* quod scilicet actor, qui impetravit, seu sponte elegit Judicem

Q

cena

cem pro se, non debet dedignari eundem habere contra se. Secus est, si delegatus datus sit ex consensu, sive ad petitionem utriusque partis, actoris, & Rei, tunc enim non est locus reconvencioni coram tali delegato, quia cessat prædicta ratio, cum non magis actor, quam reus elegerit talem Judicem; & impurandum est reo, quod causam reconvencionis non curaverit exprimi in rescripto delegationis. *Abb. in cit. c. 1. n. 3. h. r. Bart. in cit. Auth. Et consequenter; n. ult. Marant. de ord. judic. p. 4. dif. 6. n. 11.* Ob quam causam etiam reus non potest reconvenire actorem coram arbitrariis compromissariis electis ex consensu utriusque partis; ut dictum supra l. 1. tit. ult. num. 50. Similiter neque coram Judice delegato, quem Princeps, motu proprio constituit, absque petitione partium, locum habet reconventio, quia tunc etiam cessat prædicta ratio, in qua fundatur reconventio. *Marant. c. l.*

IV. Porrò et si alioquin delegatio non sit extendenda de persona ad personam, aut de casu ad casum non expressum, c. P. & G. 40. de offic. Jud. deleg. cum censetur esse stricti juris, quia jurisdictioni ordinarij Iudicis derogat: nihilominus tamen Iudex delegatus, cui commissa est causa conventionis, cognoscere etiam potest de causa reconvencionis, licet hæc ei expressè commissa non sit: quæ extensio utroque Jure fit, tum propter æquitatem, quia ægè ferre non potest; ut, qui Iudicem pro se impetravit, & sponte elegerit, eundem etiam contra se suslineat, cit. l. Cum Papinianus; tum quia causa reconvencionis est accessoria, & connexa cum causa conventionis, quia non potest coram diversis Iudicibus ventilari: cui autem delegatur causa aliqua principalis, censetur etiam eisdem delegata omnis causa accessoriæ, seu incidenter connexa cum causa principaliter delegata. *Marant. cit. dif. 6. n. 21. & 22. & dictum supra.*

V. Assertio 2. Reconventio fieri potest etiam coram Iudice prorogato, quando scilicet actor convenit reum, coram Iudice non suo, id est, qui non est Iudex aliàs competens actoris; tum enim prorogatio eius jurisdictionem, illique se vicissim submittit, etiam si æqualis sit, vel major, quam ille, cuius jurisdictioni se subijcit, ita, ut ipse actor vicissim à reo conveniri possit coram eodem Iudice, juxta l. Est receptum; 14. junct. Gl. V. Major; & V. Jus dici; & Gl. marg. lit. c. ff. de jurisd. omn. jud. *Marant. cit. dif. 6. n. 14.*

Verùm hoc intelligendum est de prorogatione jurisdictionis, quæ fit ratione reconvencionis erga personas jurisdictioni Iudicis prorogati alioquin non subjectas, quando scilicet actor reconvenitur à reo super causa, de qua alioquin poterat cognoscere Iudex ille, & quæ non est supra jurisdictionem illius, licet actor reconventus aliàs, extra causam reconvencionis, non sit subjectus jurisdictioni eiusdem. At verò, si fiat prorogatio, seu extensio jurisdictionis, ratione reconvencionis, ad causas Iudici alioquin non competentes, quando scilicet actor reconvenitur super causa, de qua Iudex ille non potest cognoscere, neque jus dicere, etiam erga subditos suos, seu jurisdictioni suæ alioquin subjectos; sed quæ excedit potestatem jurisdictionis ipsius, tunc distinguendum est cum Maranta cit. dif. 6. n. 24. Vel enim causa illa, super quâ fit reconventio, pertinet ad eandem speciem causarum, de quibus Iudex potest cognoscere, sed di-

veritas solum est secundum quantitatem, sive secundum plus, & minus: & hoc casu locum habet prorogatio per reconvencionem. v. g. si Iudex habeat potestatem judicandi tantum de causis, quæ non excedunt 300. aureos, poterit is per viam reconvencionis, etiam de maiore summa cognoscere. *Arg. l. Si idem; 11. §. Sed etsi; ff. de jurisd. omn. jud. ubi habetur, si unus minorem quantitatem petijt, quæ est intra jurisdictionem judicantis; alter verò maiorem, quæ modum excedit, trahenda nihilominus est causa coram eodem Iudice.* Nam cum talis prorogatio jurisdictionis de minore quantitate ad majorem fieri possit, expresso partium consensu, l. De qua re; 74. §. Iudex. ff. de judic. etiam potest fieri consensu tacito: actor autem conveniendo reum coram Iudice non suo, tacite, ipsòque facto prorogatur jurisdictionem illius, & consentit, ut & ipse vicissim conveniri possit coram eodem Iudice. Vel diversitas causarum est secundum speciem, quia scilicet causa, super qua fit reconventio, quæ diversâ est ab illis causis, de quibus Iudex prorogatus potest cognoscere: tum prorogatio, seu extensio jurisdictionis, ratione reconvencionis, fieri non potest: quia jurisdictionis solum prorogari, seu extendi potest de simili causa ad similem, sive quæ eiusdem generis est, non autem ad causam alterius generis, vel quæ altiore indaginem requirit; ut supra dictum l. 1. tit. 29. Exempli gratiâ, reus conventus coram Iudice constituto ad causas civiles tantum cognoscendas, non potest reconvenire actorem coram eodem in causa criminali: item conventus coram Iudice pedaneo constituto ad judicandum de causis minoribus tantum, non potest reconvenire actorem coram eodem in causa meri, aut mixti imperij, vel in qua agitur de hominis statu, ac libertate, vel de alijs hujusmodi causis, de quibus non potest Iudex principaliter cognoscere. Ratio est, quia, cum in similibus causis non habeat talis Iudex jurisdictionem in suos subditos; consequenter non potest jurisdictionem, quæ non est, per reconvencionem prorogari, seu extendi, cum reconventio sit species quædam prorogationis, seu tacite prorogatio. *Marant. c. l. n. 23. & 24. Bart. in cit. Auth. Et consequenter; n. 6.*

VI. Sed prædictis obstare videtur, quod Iudex habens limitatam jurisdictionem, qui non potest cognoscere de causa aliqua principaliter, & absolute, ob eius gravitatem, possit tamen de ea cognoscere incidenter, l. Quoribus; 3. C. de judic. atqui causa reconvencionis venit incidenter, & accessoriè ad causam conventionis, ac veluti per accidens in Judicium: ergo, licet Iudex pedaneus non possit de aliqua causa cognoscere principaliter, ac per modum conventionis, potest tamen de illa cognoscere incidenter, & per modum reconvencionis; quantum vis hæc major sit & diversæ speciei ab illa causa, de qua principaliter cognoscere potest. Resp. cum Maranta cit. dif. 6. n. 26. quando causa incidens, seu accessoria est præjudicialis; sive talis, ut, nisi illa prius expediatur, non possit decidi causa principalis; tum Iudex causæ principalis potest cognoscere de incidente, priusquam causam principalem tractare aggrediatur, dummodo non sit incapax cognitionis de causa incidente, ut est Iudex laicus, respectu causæ spiritualis incidentis, de quo infra tit. 10. Sic si coram Iudice infimo ventiletur quæstio de hereditate, & contra petentem hereditatem

tem per exceptionem opponatur quaestio status, sive excipiat, quod sit servus, vel illegitimus, ideoque incapax hereditatis, tum Iudex ille incidenter potest prius cognoscere de statu hominis, juxta l. 2. C. de ordin. cognit. quia aliàs non posset decidere quaestionem hereditatis: cui autem conceditur jurisdictio ordinaria, censetur etiam concessum omne id, sine quo jurisdictio illa exerceri non potest, etiamsi illud sit quid maius, quam concessum est. At verò causa reconventionis non est necessariò connexa cum causa conventionis, ita, ut hæc, absque illa, expediri non possit: ergo, licet, qui potest cognoscere de causa principali, possit etiam de incidente, de qua aliàs absolutè non poterat: non tamen, qui potest cognoscere de causa conventionis, potest etiam hoc ipso cognoscere de causa reconventionis, si illa sit diversa speciei; quia reconventio non est ita conjuncta conventioni, sicuti quaestio incidens causæ principali. Deinde, quando causa incidens, seu accessoria oritur ex eodem facto, ex quo oritur causa principalis; tum Iudex causæ principalis cognoscit etiam de causa incidente, tametsi sit diversa speciei: sic, qui principaliter cognovit de crimine, incidenter etiam cognoscere potest de restitutione rei, & condemnare eum ad illam; quia obligatio restituendi oritur ex eodem crimine: at causa reconventionis plerumque non habet originem ex causa principali conventionis. *Marant. c. l.*

§. III.

An laicus conventus à Clerico coram suo Iudice seculari, vicissim reconvenire possit Clericum coram eodem Iudice?

VII. Assertio 1. Clericus, vel etiam laicus non potest reconveniri coram Iudice seculari in causa spirituali, vel ei annexa; quia Iudex secularis non potest de tali causa cognoscere, etiam incidenter, c. *Tuam*; 3. de ord. cognit. ergo multò minus per modum reconventionis: non enim hoc esset jurisditionem prorogare, seu extendere, sed potiùs transferre de una specie ad aliam diversam, & novam tribuere jurisditionem ei, qui non habet: & per reconventionem ampliatur, seu extenditur jurisdictio, quoad personas alioquin non subjectas: non autem quoad causas speciei diversas, de quibus Iudex alioquin cognoscere non potest. *Abb. in c. At si Clerici*; 4. n. 19. de judic. & patet ex suprà dictis.

VIII. Assertio 2. Clericus non potest reconveniri coram Iudice seculari in causa criminali, sive agatur criminaliter ad pœnam corporalem, vel vindictam publicam, sive civiliter ad pœnam civilem, aut pecuniariam; ut communiter docent Canonistæ apud *Abbat. c. l. n. 20.* Nam jurisdictio non potest prorogari, per viam reconventionis ad genus causarum omnino diversum, de quo Iudex cognoscere non potest, quia est incapax cognitionis illius. At Iudex laicus non potest cognoscere de causis criminalibus Clericorum, & Religiosorum, ne quidem incidenter, aut per viam exceptionis; ut docet *Jo. Andr. in cit. c. At si Clerici*; n. 14. *Abb. ibid. n. 20. & 21. Felin. n. 10.* quia,

sicuti jurisdictio, & Judicium de rebus sacris, & Ecclesiasticis; ut de sacris vasis, jure decimarum, vel aliis similibus, intrinsecè, & ex objecto suo, spirituale, seu Ecclesiasticum est: ita non minùs, sed magis jurisdictio, aut Judicium circa personas Ecclesiasticas, & Deo sacratas, Ecclesiasticum, & spirituale est: ergo non potest jurisdictio secularis se extendere ad causas criminales Clericorum, ob defectum potestatis, tum in personam, tum in causam; cum omnis causa criminalis Clericorum, saltem respectu personæ Clerici, spiritualis censeri possit. *Abb. c. l. num. 21.* nam crimen est quidpiam personale, sive personæ delinquenti coherentis.

IX. Assertio 3. Spectato Jure communi, verius est, quod Clericus, ne quidem in causa merè civili, ac temporali, seu profana, reconveniri possit coram Iudice seculari; ut docet *Abb. in cit. c. At si Clerici*; n. 22. & 23. de judic. & alij apud ipsum. Ratio est, quia à generali regula prohibitoria non est recedendum, nisi reperiat calus in Jure specialiter exceptus; uti sumitur ex c. 2. de transl. *Episc. et c. 1. de suppl. neglig. Prælat. in 6.* Atqui in Jure Canonico passim pluribus locis, præsertim *caus. 11. q. 1. generalitatem, & universaliter prohibitum est, ne Clericus in causa etiam civili trahatur ad Iudicem secularem, & coram eodem conveniatur, aut ab eo judicetur: à qua generali prohibitione nullibi reperitur exceptus casus reconventionis: ergo iste remanet sub regula communi, seu generali dispositione. Et quamvis reconventio permittitur, & approbata sit à Jure Canonico, non tamen est approbata, in ordine ad personas litigantes coram Iudice seculari, sed pro foro Ecclesiastico, & quoad partes litigantes apud Iudicem Ecclesiasticum, coram quo Clerici, sive à Clericis, sive à laicis conventi reconveniri possunt: imò etiam laici in causa spirituali, vel Ecclesiastica. Leges verò civiles, seu Casares, quæ statuunt, quòd actor litigans, coram aliquo Iudice, à reo reconveniri possit, & respondere teneatur coram eodem Iudice, licet alioquin ab eius jurisditione exemptus sit, pertinent solum ad subditos laicos, neque extendi possunt ad Clericos, qui omnimodè à jurisditione seculari sunt exempti: cum hujusmodi leges non sint approbatae, aut receptæ à Jure Canonico: neque enim Ecclesia recipere solet leges civiles, quæ Clericali Ordini præjudiciales, seu onerosæ sunt, aut libertati Ecclesiasticæ adversantur; ut dictum l. 1. tit. 2. sec. 1. §. 9. & sec. 2. §. 1. Neque verò dici potest, quòd lex reconventionis à Justiniano Imperatore introducta canonizata, & approbata fuerit in Decreto Gratiani in c. 1. §. Nullum; *caus. 3. q. 8.* Nam verba illa ex Codice desumpta non pertinere ad cap. illud, sed à Gratiano inserta fuisse, notat ibid. *Gl. V. Cuius in agendo*; ubi *V. Judicem*; addit, quòd Clericus non possit reconveniri coram laicis, & in fine *V. Ut codice*; additur, ea, quæ habentur in §. Nullum; non extare in Epistola Zephyrini Papæ, neque in vetustis Gratiani Codicibus.*

X. Probatum 2. hæc sententia. Quia Clerici nec inviti, nec volentes subicere se possunt jurisditioni Iudicis secularis, etiam in causa civili, non enim possunt renunciare privilegio fori in honorem totius Ecclesiastici Ordinis eis concessio, c. *Si diligenti*; 12. de foro compet. ergo non possunt reconveniri coram Iudice seculari, quia non possunt, nec debent in illum

illum consentire: reconventioni autem non est locus, nisi quia æquum est, ut actor, quem pro se Judicem elegit, eundem quoque contra se sustinere debeat, *cit. l. Cum Papinianus; C. de sent. & interl. omn. jud. in Clericis autem cessat prædicta ratio; quia non possunt, nec debent sustinere Judicem secularem, aut in eum consentire, cum præjudicio; & dedecore status clericalis, & honoris Divini, qui læditur per hoc, quod persona Deo sacrata, & quæ Divina Sacramenta ministrat, subjiciatur potestati laici, & ab eo judicetur. Abb. in cit. c. At si Clerici; n. 24. & 25. de Judic.*

Probatum tertio. Quia generalis illa regula, quod actor reconveniri possit à reo, coram eodem Judice, non debet extendi ad specialem illam dispositionem, quæ decernitur, ut Clerici à laicis non judicentur: nam sub generali dispositione non comprehenduntur ea, quæ specialem expressionem requirunt. *Arg. l. Item apud Labeonem; 15. §. Hoc editum; ff. de injur. Abb. c. l. n. 22. & 24.* Sic etiam, licet utroque Jure generaliter statutum sit, ut juramentum calumniæ in exordio litis ab omnibus præstetur, *c. 1. de juram. calumn.* quia tamen specialiter prohibitum est; ne Clerici jurent, scilicet coram Judice seculari; hinc inferitur, Clericos non obligari ad juramentum calumniæ, de quo infra *tit. 7.*

XI. Ceterum, quod dictum est, Clericum non posse reconveniri coram Judice laico, in causa etiam merè civili, seu profanâ, id limitandum est, nisi in eadem causâ civili, in qua Clericus reum convenit coram Judice seculari, à reo aliquid opponatur per modum exceptionis, v. g. compensationis: vel, si quid per modum accessorii, seu tanquam connexum vicissim petatur, videlicet, ut Clericus Actor expensas litis solvat; nam de talibus Judex secularis etiam contra Clericum cognoscere potest. *Imol. in cit. c. At si Clerici; 4. n. 5. de judic. Marant. cit. dif. 6. n. 45.* quamvis ipse non possit sententiâ exequi adversus personâ Clerici, sive ipsum personaliter infringere, aut cogere ad solvendum; sed id per proprium ejus Judicem, videlicet Ecclesiasticum fieri debet. *Felin. in cit. c. At si Clerici; n. 10. Fallent. 4.*

XII. Sed contra hanc sententiâ obijci potest primò. Æquitas naturalis dicitur, ut, qui à me petit aliquid coram Judice, pati etiam debeat, ut ego vicissim aliquid petam ab ipso, quod mihi debet, coram eodem Judice; cum in Judicijs inter litigantes servanda sit æqualitas, & par esse debeat utriusque partis litigantis conditio: ergo, si Clericus aliquid petat à laico, coram Judice seculari, æquum est, ut vicissim etiam laicus aliquid ab ipso petere possit coram eodem Judice.

Resp. Æquitas naturalis non exigit, ut, quando partes litigantes sunt sub Magistratibus omnino diversis constituti, & cause quoque sunt diversæ, neque inter se connexæ, mutua petitio Actoris, & Rei coram eodem Judice fieri debeat: nam potest Actor reo convento dicere, sicut ego te convenio coram tuo Judice, ita tu me convenias coram meo Judice: & sic servabitur æqualitas inter partes, & par erit utriusque litigantium conditio. *Laym. in c. 1. h. t. n. 6.*

Obijcitur secundò. Clericus conventus à laico, coram Judice Ecclesiastico, licitè potest reconvenire laicum coram eodem Judice, etiam in causis omnino diversis: ergo vice versâ, etiam laicus conventus à Clerico coram Judice seculari poterit reconvenire

Clericum coram eodem Judice, in ijs saltem causis, de quibus Judex laicus cognoscere potest. Resp. Neg. conseq. disparitas est, quia Judex Ecclesiasticus est capax jurisdictionis secularis super laicos; & lex, aut potestas secularis non prohibet, nec specialiter, nec generaliter, ne laici judicentur à Clericis. At verò Judex secularis per se est incapax jurisdictionis Ecclesiasticæ super Clericos: & lex, ac potestas Ecclesiastica generatim prohibet, ne Clerici judicentur à laicis: à qua generali prohibitione non reperitur excepta causa reconventionis; ut supra dictum.

Obijcitur tertio. Clericus non potest expressè prorogare jurisdictionem alieni Judicis, etiam Ecclesiastici, sine consensu sui Superioris. *c. Significasti; 18. de foro compet. & tamen voluntariè contrahendo, vel delinquendo, in aliena Diœcesi, potest ibi conveniri, absque consensu sui Superioris, vel Episcopi proprii, & Postulasti; 14. eod.* ergo etiam potest Clericus reconveniri coram alieno Judice, sine consensu proprii Judicis, seu Episcopi. Sed respondetur, non rectè inde inferri, quod Clericus possit reconveniri coram Judice seculari: quia Clericus contrahendo, & delinquendo in aliena Diœcesi, subjicitur jurisdictioni alterius Judicis Ecclesiastici, licet ille non sit suus, sive proprius ipsius Judex; & sic non læditur universaliter jurisdictioni Ecclesiasticæ, sed tantum in particulari jurisdictioni proprii Episcopi: idemque est, si Clericus reconveniat coram alieno Judice Ecclesiastico, sine consensu proprii. Si verò Clericus reconveniretur coram Judice seculari, id cederet generaliter in præjudicium totius jurisdictionis Ecclesiasticæ Clericorum. *Abb. in cit. c. At si Clerici; n. 22.* Quare, quamvis regula generalis sit, quod conventus possit reconveniri coram eodem Judice; ea tamen non potest referri ad legem, quæ specialiter cautum est, ut Clerici à laicis non judicentur; generi enim per speciem derogatur, juxta *Reg. Juris; 34. in 6. Abb. c. l. Adeoque hinc non sequitur, quod Clericus conveniens laicum coram Judice seculari possit etiam reconveniri coram eodem.*

XIII. Ceterum, opposita sententiâ, quod Clericus in causa merè civili coram Judice seculari reconveniri possit, in praxi damnari non potest; ut notat *Abb. cit. c. At si Clerici; n. 25.* Idque tum propter plurimum DD. auctoritatem; nam id docent, præter *Gl. in c. 1. V. Super suis questionibus; h. t. Io. Andr. in cit. c. At si Clerici; n. 14. Imol. ibid. n. 5. Bart. in cit. Auth. Et consequenter; n. 19.* & alij plerique tum Canoniste, tum Legistæ, qui asserunt, quod talis prorogatio jurisdictionis secularis super Clericos, non fiat ab homine, sed auctoritate legis, quæ tribuit hoc casu laico jurisdictionem in Clericos; tum etiam, quia hæc sententiâ recepta est plurimum Regnorum, & Provinciarum consuetudine, quæ non solum immemorialis temporis decursu firmata est, sed etiam adjunctum habet tacitum consensum, seu scientiam, & tolerantiam S. Pontificis: alioquin consuetudo etiam immemorialis per se sola non sufficeret ad præscriptionem, sed esset potius corruptela; ut notat *Abb.*

c. l. n. 25.

§. IV.

In quibus causis habeat locum reconventio, vel non habeat?

XIV. Assertio 1. Generatim, & regulariter loquendo, reconventio loci habet in omnibus causis, in quibus non reperitur expressè prohibita. *Marant. cit. dis. 6. n. 27.* Dummodo Judex cognitionis sit capax cognoscendi causam reconventionis. Quare etiam in causis summarijs locum habet reconventio. *Clement. 2. §. Per unum de V. S.* saltem, si utraq; causa sit summaria. *Gl. ibid. V. Si quid petere voluerit.* si verò una causa sit summaria, quæ celerem expeditionem exigit, altera plenaria, seu ordinaria, quæ longiores dilationes expolcit; tum procedit quidem reconventio, quoad prorogandum Judicem, ut coram eodem Judice fieri possit; ut patet ex *cit. Clement. 2.* Quæ indistinctè loquitur; sed non quoad hoc, ut simul, & unâ sententiâ ambæ causæ terminentur, nisi parte volente. *Marant. c. l. n. 29. Bart. in cit. Auth. Et consequenter; num. 13.* sed de hoc infra.

XV. Assertio 2. Reconventio prohibetur, nec admittitur, in primis in causis criminalibus; ut docet *Gl. Communiter recepta in c. 2. V. Super suis in fine. h. t.* Ubi tamen distinguendum est; nam conventus criminaliter non potest reconvenire actorem, seu accusatorem criminaliter super pari, vel minore crimine. *l. Neganda; 19. C. de his, qui accus. non poss.* Quia non objectione, seu relatione criminum, sed innocentia suâ reus se purgare debet; nec antè potest accusare, quàm fuerit excusatus. *l. Is, qui reus; §. ff. de publ. judic. nisi reus reconveniendo criminaliter, vel magis crimen objiciat, vel suam, aut suorum injuriam persequatur. cit. l. Neganda; l. 2. §. Sed etsi. ff. de judic. Clar. in pract. crim. §. fin. q. 14. num. 12. Marant. cit. dis. 6. n. 47. & seqq.* Quòd si Judex Rei criminaliter conventi, sive accusati, sit etiam Judex competens accusatoris, tunc potest reus accusatus criminaliter accusatorem reaccusare super alio crimine; & tunc reconventio in criminalibus habet locum, sicut in civilibus, si Judex utriusque partis sit competens. *Marant. c. l. n. 56. & § 8. Hiltrop. cit. part. 2. tit. 10. num. 5.*

Præterea reus conventus criminaliter non potest, pendente judicio, accusatorem reconvenire civiliter; cum civilis actio criminali jure postponatur. *l. Adulteriorij; 33. C. ad leg. Jul. de adult. l. fin. C. de ordin. publicior.* Ratio est, tum quia accusator non sponte impunitam sibi, vel Reipublicæ illatam; & sic cessat ratio, propter quam inducta est reconventio: tum quia accusator propter actionem civilem non debet distrahi a persecutione judicij criminalis, in quo vertitur publicum interesse, ne delicta maneat impunita. *Abb. in cit. c. 1. n. 22. in fine. h. t. Marant. cit. dis. 6. n. 17. Clarus in cit. §. fin. q. 2. n. 5.* Contra verò reus conventus civiliter potest, pendente Judicio civili, Actorem reconvenire criminaliter, tam ex causa petitis separata, quàm ex causa descendente ex eodem Judicio: ut si reus civiliter conventus reaccusat Acto-

rem, quòd falsos testes contra se produxerit. quo tamen casu suspenditur actio civilis, donec fuerit super causa criminali pronunciatum, ita, ut quamvis in ipso Judicio civili procedi possit usque ad conclusionem in causa, non tamen possit super ea ferri sententia, priusquam sententia lata sit super causa criminali; id quod propter præminentiam Judicij criminalis, quod præfertur civili. *cit. l. fin. C. de ord. judic.* Denique reus non criminaliter, sed civiliter tantum conventus de crimine, potest actorem reconvenire de alio crimine civiliter coram Judice competente, qui scilicet sit Judex quoque competens actoris reconventi. Ratio est, quia, si reus conventus criminaliter potest reconvenire actorem criminaliter, quando suam, vel suorum injuriam prosequitur; ut supra dictum: multo magis conventus merè civiliter de crimine poterit reconvenire eum civiliter de alio crimine: quia, quando civiliter aliquis agit, suum proprium interesse prosequitur. Non tamen potest actorem reconvenire civiliter, coram Judice non suo, prorogando jurisdictionem ejus per reconventionem, quia actor conveniens civiliter reum de crimine agit ex necessitate, propter injuriam ratione criminis sibi illaram: ideoque, cum non sponte eligat Judicem, cessat reconventio coram Judice non suo, juxta supra dicta. *Abb. in cit. c. 1. n. 25. h. t. Marant. c. l. n. 59.*

XVI. Secundo. In causa appellationis non habet locum reconventio; quia Judex appellationis ex necessitate quadam aditur, propter gravamen, seu injuriam, quam appellans putat sibi factam à Judice, à quo: adeoque non potest coram illo reconveniri, sed debet, qui appellat, respondere, & se defendere apud situm Judicem ordinarium. *Bart. in cit. Auth. Et consequenter; n. 15. C. de sent. & inter loc. omn. judic. Durand. in spec. l. 2. part. 1. §. 2. n. 6. Abb. in cit. c. 1. n. 31. h. t. Marant. cit. dis. 6. n. 15.* quod intelligendum est de appellatione judiciali; nam, quando appellatur extrajudicialiter, admittitur reconventio; quia ille Judex tunc principaliter aditur. *Durand. c. l. Marant. c. l. num. 18.*

Tertiò. Spoliatus agens Judicio possessorio, sive interdicto recuperanda possessionis non potest reconveniri à reo, Judicio petitorio super proprietate, neque possessorio, nisi reus spoliatus reconveniat Actorem super alia spoliatione contra se per eum facta: alioqui enim non teneretur spoliatus respondere, nisi prius restituatur. *c. fin. de ordin. cognit. Abb. in cit. c. 1. n. 16. h. t. Marant. c. l. n. 32. & seqq. Durand. c. l. n. 3.* de quo plura suo loco.

Quartò. Reconventio non admittitur in causis executivis, v. g. in instrumento debiti, quod, vel ex forma verborum, vel ex vi statuti paratam habere debet executionem in bonis debitoris. *Marant. c. l. num. 30. & 31.* sicut nec in deposito, quia instrumentum depositi habet paratam executionem: quòd procedit quoad hoc, ut pari passu ambulet, & simul tractetur; cum non debeat differri liquidum propter illiquidum: potest tamen fieri reconventio, quoad effectum prorogationis jurisdictionis; ut postea de eodem cognoscatur coram eodem Judice. *Marant. c. l. n. 30.*

Quintò. Non habet locum reconventio, si implorecur officium Judicis extrajudicialiter; ut, cum petitur testamentum aperiri, vel donationem decreto Judicis confirmari, vel possessionem sibi armatâ manu con-

nu conservari. *Marant. c. l. n. 28.* Secus est, si officium Judicis imploretur judicialiter; tunc enim admittitur reconventio, modò imploretur principaliter, & non tantùm incidenter; quia tunc succedit in locum actionis. *Marant. c. l. n. 27. Durand. c. l. n. 11. Abb. in cit. c. 1. n. 32. h. t.*

Sextò. Non habet locum reconventio in ijs causis, quarum natura, & qualitas eam non admittit, & de quibus Judex conventionis cognoscere non potest, ob incapacitatem, uti laicus de rebus spiritualibus: quamquàm hoc casu admittitur reconventio coram alio Judice competente, etiam Judicio conventionis adhuc pendente. *Abb. in cit. c. 1. n. 24. h. t.*

Septimò. Quamvis reconventio locum habeat in causis feudaliibus coram Paribus Curia, quia in ijs sunt Judices ordinarij; ut tradit *Gaill. 1. obs. 1. n. 57.* non tamen in causa non feudali reconventio fieri potest coram illis: cum enim non habeant jurisdictionem, nisi quæ ex lege feudorum ipsis competit; consequenter extra causas feudales, non possunt cognoscere, sed coram Judice ordinario de causis non feudaliibus agendum est. *Mynsing. cent. 4. obs. 90.* Plura de hac re videri possunt apud DD. cit.

§. V.

Quando proponi debeat reconventio, & quomodo in illa procedendum sit?

XVII. Assertio 1. Reconventio proponi debet in exordio litis statim, & incontinenti, id est, ante litem contestationem, vel immediatè post illam, antequam ulterius procedatur; ut constat ex cit. *Auth. Et consequenter junctâ Gl. V. Alioqui. C. de sentent. & inter loc. & c.* Idque habetur expressum in *Auth. de executoribus; §. Sancimus; coll. 7.* ubi dicitur: si reus vult reconvenire actorem, mox à principio (id est, ante litem contestatam, vel statim post illam, *Gl. ibid. V. Mox in fine.*) apud eundem Judicem reconveniat, sed non apud alium Judicem poterit illum convenire, nisi lite finitâ; ut notat etiam *Gl. in c. 1. V. Respondere; h. t.* Et hinc post libelli oblationem, & ante litem contestationem, ponitur titulus de reconventionem; ut notavit *Hofsiens. in c. 1. h. t. Post init. & Gl. Margin.*

Porro, quamvis reus actorem, etiam in progressu litis, usque ad sententiam definitivam, vel saltem conclusionem in causa reconvenire possit; ut colligitur ex *c. Dispensia; 3. §. Reus quoque; De rescript. in 6.* ubi dicitur, posse reum reconvenire actorem, durante eodem Judicio: durat autem Iudicium usque ad sententiam, vel conclusionem in causa, ita, ut Actor reconventus in quacunque parte iudicij nequeat excipere de incompetencia Iudicis: non tamen potest fieri reconventio, post litem contestatam, in progressu litis, cum hoc privilegio, ut utraque causa conventionis, & reconventionis pari passu ambulent, & simul tractandæ sint; sed unâ expeditâ, ad alteram tractandam progressus fieri debet: quia non est æquum, ut causa conventionis prius in Iudicium deducta, & probata, per supervenientem in medio, vel fine litis reconventionem, cum gravi dispendio actoris, su-

spendatur, ac differatur. *Bart. in cit. Auth. n. 12. Marant. cit. dis. 6. n. 5.*

XVIII. Assertio 2. Si reus conventus ab actore eundem reconveniat, coram eodem Judice, potest Judex, etiam delegatus, compellere actorem ad respondendum, & utramque causam conventionis, & reconventionis simul; tamen tamen incontinenti post alteram, audire; & unâ sententiâ terminare debet; prout constat ex *c. Ex literis; 1. h. t.* Nam Plebanus, & Clerici Maturense impetrarunt à Papa Alexandro III. rescriptum ad Judices delegatos contra Abbatem, & Conventum Monasterij Maturensis, super quibusdam questionibus, seu controversiis: sed Abbas, & Conventus vicissim contra dictum Plebanum, & Clericos quædam capitula proponerant, ad quæ, ut responderent, coram eisdem Judicibus delegatis, petebant. Papa consultus respondit, ut Plebanus, & Clerici illi Monachis respondere, qui sibi iustitiam administrari postularent; ideòque mandat Judicibus à se delegatis, ut actione (id est, petitione) Plebani, & Clericorum propositâ, ad eam jubeant Abbatem, & Conventum prius respondere; & postea incontinenti compellant Plebanum, & Clericos ad respondendum Monachis super ipsorum positionibus, seu articulis; ac denique vel partes ad concordiam redigant, si possint, vel utrumque negotium (conventionis, & reconventionis) terminent, proferendo scilicet super utraque causa sententiam definitivam.

XIX. Pro declaratione hujus c. Notandum Primò. Propositâ reconventionem, ante, vel statim post litem contestatam, Judex utramque causam conventionis, & reconventionis simul tractabit, & expediet, sic tamen, ut super causa conventionis prius litem contestatio fiat: quia, qui prior appellat, prior agit, id est, actoris partes tenet. *Qui prius; 29. junct. Gl. V. Qui appellat. ff. de iudic. & incontinenti, id est, nullo actu medio interposito, sive priusquam ad alia pergatur. Gl. hic V. Incontinenti.* pari modo super causa reconventionis litem partes contestentur. Postmodum respondeat reus primò conventus ad positiones, seu articulos actoris, eoque facto, vicissim actor reconventus respondeat ad positiones Rei, & sic deinceps usque ad sententiam, quæ simul, sive eodem contextu, & ex una eademque scriptura, seu charta à Judice proferri debet, ita tamen, ut prius scripta sit causa conventionis, & postea reconventionis, & una post aliam immediatè legatur, & proferatur: alioquin si in una causa Judex prius procedat, aut pronunciet tantum, & non in utraque; processus quidem, & sententia ejus valebit, sed ab illa appellari poterit. *l. in fine. ff. Quæ sentent. sine appellat. rescind. cujus ratio est favor Rei, ne is prius condemnetur actori, quam actor ipsi reo. Bart. in cit. Auth. Et consequenter; num. 4. Durand. cit. tit. de reconvent. §. 4. n. 5. Marant. cit. dis. 6. num. 6.*

Notandum secundò. Quamvis causa reconventionis eadem sententiâ terminari debeat cum causa conventionis. *cit. c. 1. h. t.* re ipsâ tamen duæ sunt sententiæ, sicut etiam duæ causæ in idem Iudicium, favore tum Rei reconventionis, tum dirimendarum litium causâ, sunt deductæ. *Abb. in cit. c. 1. n. 9. h. t. Marant. c. l. n. 8.* nam tot sunt sententiæ, quot sunt articuli: dicitur tamen una, & eadem sententia propter

per continuationem temporis, & quia eodem con-
textu una post aliam fertur: sicut tot sunt stipula-
tiones, quot sunt summae, vel species, quae tamen di-
cuntur una stipulatio, quoad conceptionem verbo-
rum, l. Scire; 29. ff. de verbor. oblig. Durand. c. l. n. 4.

Et haec quidem procedunt, si de utraque causa
conventionis, & reconventionis pariter liquidè con-
stet: si vero prius liqueat de una causa, quam de alia,
vel reconvens non prosequatur reconventionem,
potest iudex pronunciare solum de una causa, de qua
liquet, dilata aliâ; v. g. de possessione, si de illa liquet,
dilata proprietate, quamvis simul de utraq; sit actum.
Abb. c. l. Durand. c. l. n. 5. Marant. c. l. n. 9. Mysing.
cent. 1. obs. 10. nisi una causa, sive conventionis, si-
ve reconventionis, celerem expeditionem desideret,
ut, si imminet periculum animarum: tum enim ea
prius decidenda est, si de ejus iustitia constet. c. Ex
consequens; 10. de restit. spoliat. Hiltrop. cir. tit. 10.
num. ult.

Notandum tertio. Quod causa conventionis, &
reconventionis simul tractari, & terminari debeat,
hoc est privilegium à jure in favorem rei recon-
ventionis concessum, cui proinde renunciare potest; &
tunc reus reconvenire quidem actorem poterit, sed
non erit simul tractanda, & decidenda reconventio
cum conventionis, sed post illam; nisi reus reconven-
iat actorem, ante litem contestationem, vel statim
post illam. Bart. in cir. Auth. n. 12. & patet ex supra
dictis: dici tamen adhuc poterit reconventio, quia
aliis iudex, coram quo actor convenitur, non esset
competens iudex ipsius. Barr. c. l.

XX. Assertio 3. Modus procedendi, qui ob-
servatur (praesertim vi alicuius rescripti impetrati) in
causa conventionis, observandus etiam est in causa re-
conventionis; prout sumitur ex c. Prudentiam; 2. h. r.
Nam, cum quaesitum esset ex Papa Caesestino III.
utrum, si alicui iudici commissa, seu delegata sit
causa, appellatione remota (quia scilicet actor im-
petravit rescriptum à Papa, ne reus à sententia
contra ipsum lata appellare possit) & reus coram
eodem iudice actorem reconveniat, actorque à re-
conventionis appellaverit, huic appellationi eius
sit deferendum; ipsèque audiendus? Ad hoc re-
spondit idem Papa, quod, cum actoris, & Rei eadem
sit conditio, & uterque, circa appellationis reme-
dium, uno, eodemque jure censei debeat: sicut
actor desiderat, sibi iustitiam administrari, appella-
tione remota, juxta mandantis rescriptum: ita con-
ventus esse debet, ut eodem modo erga ipsum re-
convenientem iustitia administretur.

XXI. Hinc inferitur primò, quod clausula
apposita in rescripto conventionis, ut procedatur,
appellatione remota: observari etiam debeat in causa re-
conventionis, etiam si de hac in rescripto delegatiõnis
nulla sit facta expressa mentio, ita, ut si reus actorem
reconvenit, coram eodem iudice delegato ad cau-
sam conventionis, cum praedicta clausula, actor non
debeat admitti ad appellandum contra reum, super
reconventionis: sicut vicissim, si reus à sententia con-
tra se lata in causa conventionis, appellaret, vi talis re-
scripti, non esset audiendus: tum quia, quo jure utitur
actor adversus reum, eodem etiam erga ipsum procedi
debet; cum in iudiciis utriusque partis aequalis de-
beat esse conditio: tum quia, cum causa conventionis,

& reconventionis ex juris dispositione aequiparentur,
idque propter connexionem, quam habent, ut pariter,
ac simul tractari, & definiti debeant; ideo dispositum
in una causa quoad modum procedendi, censetur etiam
dispositum in altera, & ad illam extendi debet. Gl. in
cir. c. 2. V. Eadem sit conditio; & V. Eodem modo; h. r.
Abb. ibid. num. 2. & 4. & Imol. imò, quod concessum
est actori, id multò magis concedi debet reo, cum fa-
vorabiliores Rei potiùs, quam actores habeantur. Reg.
jur. 125. in ff. Et privilegium actori concessum super
expensis litis extenditur etiam ad reum, prout habe-
tur in l. ult. C. de fruct. & lit. expens.

Nec obstat, quod rescripta sint stricti juris, nec
debeant extendi ad causas non expressas, c. P. & G.
40. in fine, de offic. & potest. iud. deleg. imò etiam privile-
gium non potest extendi ad aliam personam, etiam
propter identitatem rationis, c. Sanè; 9. ubi id nota-
tur in summa de privileg. Verum hoc procedit de
privilegio, vel rescripto, quod non tendit in praedi-
cium, seu detrimentum alterius, sed tantum in favo-
rem eius, cui concessum est: hoc enim ad alium non
expressum non extenditur: secus est, si privilegium,
vel rescriptum in alterius praedictum, vel laesionem
cedat; quale est in proposito privilegium, seu rescrip-
tum ab actore impetratum, ut contra ipsum in causa
conventionis appellari non possit, hoc enim cedit in
praedictum Rei conventi, si ipse appellare non possit,
sicut actor: esset enim hoc pacto non aequalis, sed de-
terior Rei conditio, nec debet actori esse licitum, quod
reo non licet, Abb. in cir. c. 2. n. 4. h. r.

Inferitur secundò. Rescriptum concessum cum
clausula, appellatione remota, non solum, si ad instan-
tiam actoris, ut tenet Gl. fin. in cir. c. 2. h. r. sed etiam,
si motu proprio Papae, vel alterius Principis, in causa
conventionis emanarit; censetur etiam concessum
reo, & repetitum in causa reconventionis; quia utro-
bique locum habet ratio expressa in cir. c. 2. h. r. quae
non fundatur in eo tantum, quod tale rescriptum im-
petratum sit ad petitionem actoris, sed quia eadem de-
bet esse conditio actoris, & Rei: & quia, quando duo
in jure aequiparantur, dispositio etiam stricti juris, aut
pœnalis, tamen si motu proprio facta in uno, censetur
quoque facta in alio, cum quo aequiparatur: sic dispo-
sitio etiam pœnalis facta de electione, habet etiam
locum in postulatione, quia per illam ad hanc perve-
nitur; & in jure aequiparantur: similiter conventio
aequiparatur cum reconventionis, & ad hanc per illam
pervenitur: ideòque dispositum in conventionis, etiam
motu proprio, censetur dispositum quoque in recon-
ventionis. Abb. in cir. c. 2. num. 10. Et hinc etiam, si
causa conventionis sit summaria; causa vero recon-
ventionis secundum se ordinarium processum requi-
rat, nihilominus tamen, propter connexionem, & a-
quiparationem cum causa conventionis, simul etiam
summarie expediti potest; ut docet Abb. c. l. licet con-
trarium teneat Durand. cir. tit. de reconvent. §. 2. n. 1.
& plures alij supra cit. n. 14. Pari ratione, si reus, vi
rescripti impetrati ab actore, tractus fuit ultra duas
dietas, aut duodecim leucas, extra Diocesim, & ibi
conventus, potest ibidem reconvenire actorem, &
ipse eodem favore, & privilegio uti adversus eundem.
Abb. in cir. c. 2. n. 9. h. r.

XXII. Ceterum illud hoc loco addendum est,
actorem, si nolit respondere ad libellum reconven-
tionis,

tionis, hanc poenam pati, ut non teneatur reus respondere ad libellum conventionis ab ipso oblatum, & Judex ei audientiam, & justitiæ administrationem denegare debet, donec respondeat super reconvencionem; ut colligitur ex c. 1. *junct. Gl. V. Respondere; h. t. Durand. cit. tit. de reconvent. §. ult. Hostiens. in summa n. 4. h. t.* Imò actor, postquam reconventus est à Reo, non potest deinde desistere à lite reo intentata, neque

illi renunciare, ipso invito, quamvis lis nondum contestata fuerit, ut docet *Baldus in cit. Auth. Et consequenter; n. 14.* quia per legitimam reconventionem actor à reo præventus, & occupatus fuit, adeoque reo jus acquisitum est, unde cogere potest actorem, ut sibi respondeat, & ut patiatur utramque causam simul tractari, ac definiri.

**

T I T U L U S V.

DE LITIS CONTESTATIONE.

Post libelli oblationem factam ab actore, vel etiam vicissim à reo (si is actorem reconvenire velit) datis, si opus sit, induciis, seu dilationibus ad deliberandum, sequi debet litis contestatio, de qua hoc, & seq. Tit. agitur, & extat hic Titulus etiam in Sexto. Dicitur autem litis contestatio fundamentum, & principium Judicii, quia propriè ab illa Iudicium incipit, c. Super quæstionum; 27. & ibi Gl. V. Litis exordium; de offic. & potest. Iud. deleg. nam ante litis contestationem non dicitur quis agere, vel petere; sed agere, vel petere velle, l. Amplius; 15. ff. Ratam rem haberi. ideoque nondum inchoatum esse dicitur Iudicium, sed demum post litis contestationem. *Gail. l. 1. obs. 74. n. 1. & 2.* quamvis Iudicium latius sumptum, quoad certos Juris effectus, etiam à sola citatione incipere dicatur, quos supra retulimus l. 2. tit. 2. §. ult. Et hinc in §. fin. Instit. de poen. tem. litig. dicitur: omnium instituendarum actionum principium ab ea parte Edicti proficiscitur, quando Prætor edicit de in Jus vocando; ubi citatio dicitur principium actionum instituendarum, non verò etiam Judicii constituendi, propriè loquendo: quia priusquam Iudicium constituitur, reus citari, & in Jus vocari, eique libellus edi debet: & ideo in l. 3. C. De edendo, dicitur: quòd edita actio, non ipsam litem constituat, sed futurae litis speciem demonstrat: Iudicium autem propriè per litis contestationem suscipitur.

§. I.

Quid sit litis contestatio, seu in quo consistat, & quo pacto inducatur, & an sit necessaria ad Iudicii substantiam?

I.

ASSERTIO I. Litis contestatio definitur à Gl. in c. un. h. t. V. *Responsiones*; quòd sit negotij principalis hinc inde apud Judicem facta narratio, & subsequuta responsio. Verùm, quia per positiones quoque narratur principale negotium apud Judicem, & tamen per eas litis contestatio non inducitur, ideo ab aliis communiter sic describitur. Litis contestatio est fundamentum Judicii per petitionem (actoris) in jure

propositam, & congruam (Rei) responsionem secutam, animo contestandi litem, seu potius animo litigandi factam, *Hostiens. in summa h. t. n. 1. Durand. in spec. l. 2. part. 2. tit. de lit. contest. §. 1. Marant. de ord. judic. p. 6. Membro; 10. n. 3.* Porro litis contestatio, rectius describitur per animum litigandi, quam per animum contestandi litem: nam cum æquè obscurum sit, & ignotum, quid sit animum litem contestandi, atque ipsa litis contestatio, sequitur, quòd idem per idem æquè ignotum definiatur, cum tamen definitio debeat esse clarior definito. Sumitur autem hæc descriptio ex c. un. ubi dicitur, quòd non per positiones, sed per petitionem in jure propositam, & responsionem secutam, litis contestatio fiat. Idemque habetur in c. *Dudum*; 54. §. *Licet autem*; de elect.

II. Pro cuius declaratione Notandum primò. Postquam actor libellum obtulit Judici, & in eo actionem suam proposuit, isque libellus reo citato exhibitus fuit, tenetur reus, elapso tempore ipsi ad deliberandum,